

CODEX 32. olim signatus 3/1.

*Foliorum 177, 318 : 228 mm., columnis binis exaratus saeculo XII. sub
b. Frowino abate, quod indicant versus sequentes fol. 3.:*

Pectoris ob lumen, Pater hoc Frowine volumen
Fecisti fieri; sit talio notio veri.

*Litterae initiales partim artificiose delineatae, partim solo minio sunt ductae.
Codici praefiguntur (fol. 2'.) figurae Christi et Ecclesiae illustratae
his versibus:*

Conjugis in morem permisetur per amorem
Ecclesiae Christus; perit hinc dolor et quoque fastus.

Bernardus S. Claraevallensis. Sermones super cantica canticorum LXXXII; reliqui quatuor desunt.

*P. L. 183, 785—1181. Hos Bernardi sermones indice locupletissimo
(fol. 1'. 2. et 3.) ac notis marginalibus illustravit P. Ignatius Betschart.
1658—1681 abbas Engelbergensis. Ad calcem codicis invenitur versus:*

Ecce sodes noris liber hic finitur amoris.

*Fol. 3. manus saec. XIV. haec adnotavit: Iste liber spectat ad monasterium
monachorum de monte angelorum et accommodatus est fratri
Francisco Vicedom. lectori Lucernensi.*

CODEX 33. olim signatus 3/2.

*Foliorum 188, 310 : 228 mm., binis columnis exaratus saeculo XII. Praeter
modestiores litteras initiales codex rubricatus etiam „Frowinianis“ decoratus
est litteris, quas tamen manus recentior coloribus spatiola implendo foedavit
magis quam ornavit.*

*Folio 1. haec notata sunt: Iste liber impignoratus est praeposito Lucernensi
pro quinque libr. Hallensium a quodam de Vnderwalden, quem
bene novit Leonardus de Lütishoffen, usque ad festum Jo. Baptista proxime futurum ea condicione, quod idem de Vnderwalden
farandiam facere pollicitus est contra omnes, qui huius mutuum
seu impignorationem impugnare praesumpserint. Acta sunt haec
feria tercia ante dominicam Jubilate anno LXXII° in praesentia
Leonardi de Lütishoffen.*